



Kem 240(1-31)





DISSE<sup>9</sup>  
DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA

DE

MODO NVTRITIONIS  
FETVS

Q V A M

IN PERANTIQA ELECTORALI ACADEMIA ERFVRTENSI

CONSENTIENTE GRATIOSA FACVLTATE MEDICA

PRO LEGITIME OBTINENDO DOCTORIS  
IN MEDICINA GRADV

PVBlico ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVTOR ET RESPONDENS

ZACHARIAS BERNARDVS REICHARD

ERFVRTENSIS

DIE X. MAI MDCCCLXXXIII.


IN AVDITORIO MEDICO HOR. CONSVET.

---

ERFORDIAE

LITERIS HENR. RVDOLPH, NONNI, ACAD. TYP.





VIRO  
ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO  
EXPERIENTISSIMO  
**IOANNI FRIDERICO  
HUFFLAND**

MEDICINAE DOCTORI CELEBERRIMO  
SERENISSIMI DVCIS SAXO-VINARIENSIS ET ISENA-  
CENSIS CONSILIARIO AVLICO INTIMO ET  
ARCHIATRO

FAVTORI ET PATRONO  
**SVO**

OMNI PIETATIS CVLTV PROSEQVENDO



HAE LABORVM ACADEMICORVM  
PRIMITIAE

SACRAE SYNTO

ZACHARIAS BERNARDVS REICHARD

PROOE-





## PROOEMIVM.

**C**ognitio de structura placentæ, ejusque nexus  
cum utero, nobis tam necessaria quam mo-  
mentosa est. Nam hac sola theoriam sa-  
nam & naturæ rei respondentem de modo  
quo fetus nutritur, superficiare possumus, & nunquam  
tot & tam diversæ contrariæque hac de re sententiæ essent  
ortæ, si autores solummodo ab experimentis & non ex  
conjecturis notiones suas deduxissent. Tanta mihi est de-

A 3

hac

hac veritate persuasio, ut, postquam plurimos autores, qui fetus nutritionem tractarunt, per voluisse, & tot tantisque eruditorum virorum dissensibus incertus haessem, quæ sententia mihi sit amplectenda, apud animum constituerem, nullius jurare in verba autoris, sed a natura ipsa, magistra optima ediscere, quomodo fetum enutriat, hinc placentam propriæ meæ disquisitioni subjecere. Recentissimas ergo secundinas sponte solutas immediate post partum massa cerea implevi & maceratione vas a tela cellulosa liberavi, ut eorum directio, anastomoses & fines innoteſcerent. Proferam itaque, quæ sub hisce vidi conatibus, & quid ex iisdem collegerim.

---

§. I.

**N**unquam, cum per vas umbilicalia injicerem, tantillum subtilissimæ injectionis materie prorumpens vidi, quum tamen innumerabilia chorii fungosi vascula, solutio ne placenta facta, aperta hient. Eodem successu Ill. Wrisberg \*) secundinas mercurio implevit.

2) Cum injectionis materiem in venam umbilicalem propellerem, statim omnes arteriarum ramuli vento tumesccebant. Post maceratam placentam, innumerabiles arteriarum venarumque, præcipue harum ultimorum ramulorum, anastomoses in conspectum veniebant. Sic etiam

\*) Haller prim. lin. physiolog. ab eo edit. p. 489, n. 5.

etiam arteriæ copiosissimas inter se perficiebant anastomoses.

- 3) Venas valvulis destitutas vidi.
- 4) Ultimi venæ umbilicalis ramuli, in cellulas sese finiebant placentæ.

5) Post separatam putredine chorii fungosi telam cellulosa, innumerabilia vascula minimi luminis, chorium fungosum constituentia adparebant. His etiam ablatis membrana tenuis perspiciebatur, quæ totam placentæ superficiem convexam investiebat, eamque in omnes ejus sulcos (ea ratione, ac pia mater sulcos cerebri permeat) sequebatur, & in margine ejus cum chorio lœvi quasi coalescet. Magna quantitas minimorum chorii fungosi vasculorum, oculo nudo vix penetrabilium, membranam illam perforabat, & postquam sese ulterius ramificaverant, in cellulositate placentæ evanescebant.

6) Hæc chorii fungosi membrana (quam III. Hunter deciduæ lamellam interiorem denominat) ramificationibus vasorum funiculi umbilicalis finem præscribit. Subtilissimam ergo materiem per ista vasæ injectam, nunquam ultra hunc terminum transvehere potui, licet subtilissima vasæ, vix oculo nudo conspicua penetraverat.

7) Sanguinem solummodo in cellulositate & fulcis chorii fungosi, nunquam in cellulis placentæ ipsius inventi.

8) Cum placentæ semiputridæ amnion & annexum chorion lœve, illius superficiem concavam investientia, lœvarem, vasæ minimi luminis per chorion lœve & amnion

amnion in eorum cavum sese aperiebant, simulque traher-  
bantur. Quæ cum ultra persequerer, in subtilissimos sese  
dividebant ramulos, adeo, ut vix oculo nudo conspicerent-  
tur, demumque in cellulas placenta sese finiebant, \*)

## §. II.

Hisce observatis facile determinari potest, quid sit  
placenta? & quomodo oriatur?

Dicit vero originem suam ex ovo, quod consistit  
e tribus veris tunicis, quarum extima decidua reflexa vel  
caduca Hunteri, vel chorium fungosum, media chorion  
læve, intima, amnion nominatur. Extima ex toto villo-  
sa, flocculenta, vasculosa & reticulosa est membrana, qua  
primis gravitatis mensibus laxiori tela cellulosa, vasculis-  
que minimis cum chorio lævi est conjuncta, adeo, ut fa-  
cile ab eo separari & detrahi possit. Vasa inde funiculi  
umbilicalis, postquam amnion & chorion perforavere, in-  
ter eum & chorii fungosi membranam (§. I. n. 5.) favente  
laxa tela cellulosa, sese ramifications, & unacum ea necante  
tela cellulosa, propriam placentam formant, in cuius cel-  
lulas illi chorii fungosi villi, membranam ejus perforantes,  
sese etiam finiunt. Ubi hæc chorii fungosi membrana, va-  
sorum umbilicalium ramifications, non porro a chorio  
lævi

\*) Hæc sunt vasa liquorem amnii secernentia.

lævi separatur, cum illo sensim ac sensim firmius conjungitur, adeo, ut sub ulteriori graviditatis progressu, cum illo quasi coalescat, hinc ab illo separari nequeat. Sic placenta terminatur. Inosculantibus autem chorii fungosi villis, villis uteri, ovum humanum utero necitur. Suborta deinde inter eos tēla cellulosa nexus hic firmior redidit. Rationem autem, qua fetus nutritio perficitur, sequenti modo ex ante dictis resultare credo.

§. III.

Duplex nempe vasorum systema, symbolam ad fetus nutritionem confert:

1) *Systema uterinum* (quod etiam secretorium nominari meretur) quod e villis chorii fungosi, villis uteri inosculatis consistit, quibus liquor tenuissimus, luminibus eorum respondens, post perforatam ab illis chorii fungosi membranam, in cellulas placentæ secernitur. Partim etiam per villorum ramulos uteri villis non inosculatos, similis succus ex sanguine resorbetur & in placentæ cellulas secernitur, qui per vasa lateralia venarum uteri in cellulas atque sulcos chorii fungosi deportatur, de qua reinter alios fidem faciunt Viri Illustr. Alexander Monro\*) & Johnston\*\*) Vascu-

\*) Essays of a Society at Edinburg T. II.

\*\*) A new System of Midwifery &c.



Vascula uteri resorbentia, sanguinem reliquum e cellulis  
chorii fungosi resorbent & in matris circulum revehunt.

§. IV.

Quod chorii fungosi villi mediante tela cellulosa, abs-  
que immediata anastomosi, cum ramulis venæ umbilicalis  
communicent, hinc pro propagibus ramulorum venæ um-  
bilicalis non tenendi sint, sequentibus rationibus pro-  
batur:

D §. I. n. 1. Nam materies injectionis satis subtilis,  
in venam umbilicalem injecta, certe vi siphonis prorum-  
peret, si villi ejus ramulorum propages essent. Pari ratio-  
ne etiam mercurius retinetur, qui tamen subtilissima vasa  
penetrat.


2) Quia etiam, si villi tanquam ramuli venæ umbili-  
calis, cum uteri vasculis ductus continuos formarent, fetus  
per vasa esset injiciendus uterina, hoc vero experimentis  
Illustr, virorum Monro, \*) Hunteri, \*\*) Walteri \*\*\*) &

Wris-

\*) loc. cit.

\*\*) vid. ejus *Anatomia uteri humani gravidi*, opus splendi-  
dissimum.

\*\*\*) Geschichte einer Frau, die in ihrem Unterleibe ein ver-  
hærtetes Kind 22 Jahr getragen hat, p. 24.



II

Wrisbergii \*) subvertitur. Quod autem villi chorii fungosi omnino villis vel vasculis uteri inosculentur, probat experimentum ill. Walteri, \*\*) quo liquidum injectio-  
nis ex vasis uterinis usque in cellulas placentæ pro-  
pulit.

§. V.

II) *Systema umbilicale vel resorptorium*, consistit e vasis funiculum umbilicalem constituentibus. Ultimi venæ umbilicalis ramuli, oculorum aciem effugientes, e placentæ cellulis, liquorem nutritum a minimis villorum chorii fungosi ramulis secretum resorbent, & postquam in truncum confluxerunt, ex hoc per funiculum umbili-  
calem usque ad fetus hepar vehitur, ubi partim (ut verbis ill. Halleri utar \*\*\*) per ramos quos edit, dum per fossam suam retrosum tendit, numerosos perma-  
gnosque hepaticos, ut singuli venam portarum æquent,  
partim per sinum vel ramum sinistrum venæ portarum,  
partimque per ductum venosum in venam cavam & cor  
progreditur, ubi tandem propria fetus circulatione in  
sanguinem mutatur.


B 2

§. VI.

\*) loc. cit. p. 489.

\*\*) loc. cit. p. 25.

\*\*\*) loc. cit. p. 493.



## §. VI.

Sanguis tunc reducitur per duas prægrandes arterias umbilicales, quæ aortæ ductum continuant, datisque exiguis femoralibus, minimis vero in pelvim arteriis, secundum vesicam reflexæ ascendunt & extra peritonæum tendunt, ubi cum vena umbilicali, mediante tela cellulosa funiculum umbilicale constituant, cujus cursum in placentam sequuntur, unde innumerabilibus ramificationibus, quibus semper arteria venam sociam habet, denique ultimi arteriarum ramuli in venulas sese finiunt & sanguinem illis reddunt, quibus una cum recente a venis bibulis resorpto succo alibili rursus in fetum reducitur, ejusque circulatio perficitur.

Arteriarum venarumque umbilicalium anastomoses, quas minimi præcipue ramuli constituunt, ad hunc præcipue usum esse credo, ut succus nutritius recens resorptus sanguinique admixtus, ob exiguae cordis arteriarumque vires, sanguini facilius assimilari queat. Hæc mihi etiam videtur esse ratio, cur arteriæ umbilicales fetus tertiam & ultra sanguinis partem avehant. Quod autem fetus nutritio hoc modo & non immediata vasorum anastomosi perficiatur, sequentia argumenta, quæ mihi adhuc sunt proferenda, probant.

## §. VII.

## §. VII.

1) Sanguis maternus, multis particulis imprægnatus terreis, liquor longe crudior crassiorque est, hinc illa succi nutritii indole caret, quam tenerima embrionis constitutio requirit. Hoc etiam observatio Ill. Walteri, jam laudata probat, qua embrio, post conceptionem abdominalem, immediate e sanguine nutriebatur materno, & præterlapsis viginti duobus annis induratus incrudatusque inveniebatur.

2) Si velocitatem impetumque materni sanguinis per arterias ruentis consideramus, consistentia embrionis gelatinosa absque dubio destrueretur, si sanguis maternus immediata vasorum anastomosi, curli adeo veloci ac continuo embrioni adveheleretur.

3) Cum sanguis embrionis, ratione supra descripta, e succo subtilissimo, blandissimoque ideo comparatus sit, ut tenerimæ omnino ejus constitutioni respondeat, ea que ratione longe a materno sanguine differat, fines quoque propriæ embrionis circulationis transgredi non debet. Nam plane impossibile est, si cum Ill. Waltero \*) & aliis assumimus: sanguinem embrionis modo jam descripto ortum, per arterias umbilicales in placentam, ex hac, per venulas uteri resorbentes in matris circulum redu-

B 3

ci,

\*) lac, cit. p. 23.



ci, ut a) talis sanguinis quantitas, quam arteriæ avehunt umbilicales, quæ tertiam partem omnis summae sanguinis in fetu circulantis exsuperat, ex succo nutritio, eo in momento, quo ille avehitur, iterum confici possit, cum nulla plane proportio inter resorptionem succi alibilis & sanguinis eductionem esset. Fetus inde paucis momentis omni suo sanguine privatetur.

b) Incrementum porro fetus, huic sententiæ pondus addit. Ad promovendum enim hocce incrementum, sufficiens succi alibilis quantitas requiritur, quæ vero embrioni denegaretur, si semper tertia & ultra ejus sanguinis pars avcheretur. Denique summa omnium venarum reforbentium, perfecte ejus ætati & magnitudini æquat, & hac ratione nunquam pius resorbetur, quam pro ejus nutritione & incremento consumi potest.

c) Si verum esset, quod venæ uteri sanguinem ex arteriis umbilicalibus exciperent, qua, quoſo ratione, sanguis in vena umbilicali deprehendi posset? cum ex structura placenta desuper luculenter adpareat, nunquam verum sanguinem venuſis resorberi umbilicalibus.

d) Semper sanguis venæ umbilicalis inventus est tenuior fluidiorque illo, arteriarum umbilicalium. Sanguis ergo arteriis umbilicalibus ad venulas ejusdem systema.

stematis deportatus, hanc conditionem non, nisi ab ei ad-  
mixto succo nutritio adipisci potest.

e) Ex animadversionibus Ill. Wrisbergii \*) constat,  
fetum ne guttula sui sanguinis privari, si mater ex hæ-  
morrhagia lethali perierit.

4) Analogia avium pullorum, ovulo inclusorum quo-  
que probat, sanguinem eorum propria circulatione ex  
vitello & albumine parari, cum tamen in et extra ovulum,  
omni cum matre carent nexu.

;) Nunquam denique hæmorrhagiæ ex funiculo aper-  
to, dum placenta in utero remanet oriuntur, matribus  
periculum minantes, quod autem fieri deberet, si fetus  
ductu continuo ex sanguine nutriretur materno. Nam  
solummodo ista sanguinis portio, ex yena arteriisque re-  
scissis effluere patest, qua hisce post resectionem adhuc  
continetur. Hanc veritatem etiam experientia quotidiana  
testatur, cum nunquam hodie funiculus umbilicalis  
versus placentam deligitur, de nullo autem damno par-  
tientibus inde allato audiatur.

Hæc pauca sufficient de modo, quo fetus per venam  
umbilicalem nutritur. Haud abnuo, multa fortassis ob-  
veni-


\*) loc. cit. 490. n. 3.



venire, non satis determinata; quorum amica correctio  
mihi semper erit acceptissima. Properantius hanc ma-  
teriam severiori indagatione dignam pertractare, urgen-  
tes cogebant causæ. Plures observationes atque expe-  
rimenta in posterum emendabunt ea, quæ vitiosa adhuc  
in hisce pagellis occurunt.



PICA



9  
DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

DE

# MODO NVTRITIONIS FETVS

Q V A M

IN PERANTIQA ELECTORALI ACADEMIA ERFVRTENSI

CONSENTIENTE GRATIOSA FACV

PRO LEGITIME OBTINENDO  
IN MEDICINA GRA

PVBlico ERVDITORVM EXAMINI

AVTOR ET RESPON

ZACHARIAS BERNARDVS

ERFVRTENSIS

DIE X. MAII MDCCCLXXXI

IN AUDITORIO MEDICO HOR. C

---

ERFORDIAE  
LITERIS HENR. RUDOLPH, NONNU,

